Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2509
Quelle:
Copyright:

Lat. L. II. p. 214. ideoque perperam eam cum Nostri Elucidario Summæ *Hostiensis* seu *Oculo* confudit. Praeluxit illa *Antonini Flor. Andreae Hisp. Bartholomaei de Chaymis* &c. *Confessionalibus*, estque hujus initii: *Inprimis debet interrogare sacerdos penitentem, vtrum sciat pater noster, Credo in deum, Aue Maria* &c. Atque ita deinceps exponuntur omnia Hominis Christiani in diversis Vitae generibus officia, adjunguntur que in fine quaedam e *Summa Raymundi*, ad quorum calcem: *Explicit summa Berengarii Episcopi Tuscolanen. per manus Nicolai presbiteri Anno XXI^mo.*

V. *fol.* 75. *Incipit Benedictio Auri mirre et thuris.* Ita quidem: *Suscipe sancte pater a me indigno famulo tuo hec munera* &c. In Exorcismis varia Dei ex Hebraeo, Graecoque corrupta nomina, multaque alia superstitiosa occurrunt.

VI. *fol.* 78. praemissis *Capitum* XLVI. argumentis sequitur *Historia trium Regum*, cujus Prologus incipit: *Cum venerandissimorum trium magorum ymo verius trium regum gloriosissimorum* &c. Opus ipsum: *Patria istorum trium regum a prophecya balaam* &c. Commentum istud fabulis scatens autorem habet *Johannem Hildesiensem* O. Carm. qui teste *Tritbemio* in *Script. Eccl. n.* 648. et in *Catal. illustr. Germ. fol.* 30. claruit circa an. 1360 — 70. laboremque suum *Florentio de Wevelkoven* Ep. *Monasterien.* dicavit, qui cum an. 1379. ad sedem *Ultrajectinam* transiverit, de Scriptionis tempore conjectura fieri potest. Nuncupationem hanc tacet *Codex* noster; constat vero de illa ex editione principe Operis curata per *Joh. Guldenschaff de Maguncia* 1477. f. quae mihi objacet, e qua cum latinae, tum in alias linguas translatae Editiones complures profectae sunt Sec. XV. quarum Catalogum texere non foret difficile. Ad finem Exempli nostri habes: *Explicit Anno Domini M°. (400) XI°. et sabbato ante festum Marie Magdalene.*

VII. *fol.* 138. *Incipit tractatus super missam magistri Hainrici de Hassia.* Initium: *Quam breuis fuerit missa et verbis et ceremonijs quando christus celebrando sacramentum ewkaristie instituit* &c. Iam indicatus pluries.

VIII. *fol.* 154. p. 2. *Incipiunt Decem precepta secundum quod b. Augustinus ea exposuit.* Initium: *Sapiens est, qui scit dampnum suum precauere* &c. Simpliculus Compilator ab *Augustino* sibi autoritatem quaerens mox in expositione *Praecepti* I. fabulam narrat de *Rana* lagenam vini veneno inficiente, *que contigit in VII. castris in vna ciuitate que Hermanni villa* (Hermannstadt) *nuncupatur, temporibus beati Augustini.* Adscriptus est *Modus absolucionis excommunicacionis diebus Dominicis IIII. temporum in ambone super populum.*

IX. *fol.* 169. p. 2. Collectanea quaedam breviora. 1°. *Casus qui in celebratione misse possunt accidere.* Prout habentur in multis Missalibus antiquioribus. 2°. *E Legenda vndecim milium virginum,*